

At enim natura dicitis virtutem non posse constitui, si ea, quae extra virtutem sint, ad beate vivendum pertineant. Quod totum contra est. Introduci enim virtus nullo modo potest, nisi omnia, quae leget, quaeque rejiciet, unam referantur ad summam. Nam si omnino ea negligimus, in Aristonea vitia et peccata incidemus, obliviscemurque, quae virtuti ipsi principia dederimus. Sin ea non negligemus, neque tamen ad finem summi boni referemus, non multum ab Herilli levitate aberrabimus. Duarum enim vitarum nobis erunt instituta capienda. Facit enim ille duo sejuncta ultima bonorum; quae, ut essent vera, conjungi debuerunt. Nunc ista separantur, ut disjuncta sint; quo nihil potest esse perversius. Itaque contra est, ac dicitis; nam constitui virtus nullo modo potest, nisi ea, quae sint prima naturae, ut ad summam pertinentia, tenebit. Quaesita enim virtus est, non quae relinqueret naturam, sed quae tueretur. At illa, ut vobis placet, partem quandam tuetur, reliquam deserit. Atque ipsa institutio hominis si loqueretur, haec diceret: Primos suos quasi conceptus appetendi fuisse, ut se conservaret in ea natura, in qua ortus esset. Nondum autem explanatum satis erat, quid maxime natura vellet. Explanetur igitur. Quid ergo aliud intelligetur, nisi ut ne qua pars naturae negligatur? In qua si nihil est praeter rationem, sit in una virtute finis bonorum. Sin est etiam corpus, ista explanatio naturae nempe hoc effecerit, ut ea, quae ante explanationem tenebamus, relinquamus! Ergo id est convinienter naturae vivere, a natura discedere! Ut quidam philosophi, quum a sensibus profecti, majora quaedam ac diviniora vidissent, sensus reliquerunt: sic isti, quum ex appetitione rerum, virtutis pulchritudinem adspexissent, omnia quae praeter virtutem ipsam viderant, abjecerunt, oblit, naturam omnem appetendarum rerum ita late patere, ut a principiis permaneret ad fines: neque intelligunt, se